



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

IX. De correctione & contumacia clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO CHRISTI 1197.
 blice denuntiari. Clerici vero beneficiati, qui per tempus trium mensium sententiam excommunicationis sustinere præsumperint animo indurato, per suos diocesanos suis beneficiis spolientur, & personis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum spectat collatio, conferantur, saluis aliis pœnis contra vsurarios editis, secundum canonicas sanctiones.

IX.

Item ordinamus atque statuimus, vt clerici & ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam regulares prælatorum suorum correctiones legitimas cum debita humilitate suscipiant, & si qui ex eis hac occasione contra suos correctores auxilium brachii sæcularis inuocauerint, vel potentum preces armatas impetrauerint, vel impetratis vti præsumperint, a suis beneficiis deponantur. Ipsis quoque prælatis districtius inhihemus, ne prius minoris ætatis, videlicet octodecim annorum, dignitates, personatus, seu beneficia curam animarum habentia conferre præsumant, vel ad ipsa recipere præsentatos, nisi cum eis super hoc a sede apostolica vel legatis eiusdem extiterit dispensatum.

X.

Item ad aures nostras per clamorosa insinuationem multorum deuenit, quod patroni ecclesiarum tam clerici quam laici, aduocati & iudices, & præcones, bona decedentium clericorum occupant, volentes sibi ab intestato succedere, pro suæ voluntatis arbitrio, non iudicio rationis. Quare prouide duximus statuendum, vt patroni eccle-